



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Astruitur demonstrativa efficacia Angelicæ probationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

15. Non datur substantia spiritualis, non intellectiva.
 16. Instantia de substantia corporea non operativa.
 17. An calum empyreum sit operativum?
 18. Implicat substantia pure corporea, & intellectiva.
 19. An acceptio immaterialitatis pro perfectione sit ad mentem D. Thomae?

§. I.

Astruitur demonstrativa efficacia angelica probationis.

1. **S**upponitur. Divinam scientiam & intellectualitatem infinitam ab Angelico Doctore probari ex infinita immaterialitate, quod cum sit in summo (gradu) immaterialitatis, etiam sit in summo cognitionis. Porro immaterialitas hic accipitur pro positiva exclusionem materiae, quae fieri potest tripliciter, ut habet Mag. Godoy tr. 3. disp. 22. §. 7. Primò significat, exclusionem compositionis cum materia. Secundò. Exclusionem dependentiam à materia in essendo. Tertiò. Exclusionem conditionum materialium in agendo & recipiendo, quam Thomae etiam appellant exclusionem immersionis in materia.

Primò modò Angeli sunt in materiales, secundò anima rationalis, tertiò anima sensitiva. Quo posito impugnant hanc D. Th. rationem Ariaga disp. 15. le. 1. subiect. 1. & 2. negans ex immaterialitate rectè inferri vim cognoscitivam. Aversa, q. 14. de scient. lect. 1. negat rationem D. Thomae esse demonstrativam, utpote tantum ex probabilibus principiis deductam. Oppositum docent Discipuli S. Doct. cum quibus sentiunt ex RR. Molina, Suarez. Granada, Martinez disp. 1. de DEO cognosc. le. 1. §. 2.

2. **C**ONCLUSIO. Ratio indicata Angelici Doct. optimè probat intellectualitatem DEI: Nam partim in inductione cognoscentium, partim in ratione solidissimè fundatur. Inductione quidem: quia cernimus, quòd quantò aliqua cognoscentia à materiali concrezione magis recedunt, tantò perfectius intelligendi munere fungantur. Nam viventia sensitiva quamvis non alià quàm sensitivà notitià, eaque intra gradum corporeum contentà gaudeant, tamen spirituales agendi modum amulantur, nec patiuntur immersionem in materià, quam alia corporea agentia patiuntur, sed supra conditiones materiae in formarum & imaginum sensibilibus sensitiva perceptione elewantur. Homo quia est ex parte Spiritus, ex parte intelligit. Angelus, quia totus immaterialis, totus intelligentia est. Quidni ergo actus purus & ab omni materiae umbra remotissimus, sit summe intellectualis?

3. In ratione quoque fundatur: quia intellectus & materia oppositas habent rationes & proprietates. Intellectus capacitatem dicit & amplitudinem, ad formas omnium intelligibilium objectorum recipiendas: in tantum quippe sit cognitio, in quantum cognitum est in cognoscente. Ex opposito materia est principium limitationis & coarctationis; quatenus non modò ita tenet formam, ut nullam aliàm simul compatiatur, sed

etiam eandem ad certas individuales conditiones quantitatis, loci &c. limitet. Sequitur ergo, ut quantò major est alicujus entis communicatio cum materia, tantò minor sit communicatio intellectualitatis, quantò major verò recessus à materia, tantò ampliùs de gradu intellectualitatis participet. Cùmque proinde in DEO ceu actu puro sit infinitus recessus à materia: infinita quoque erit perfectio intellectualitatis.

Hanc ipsam connexionem & vim inferenditèr immaterialitatem & intellectualitatem agnovit D. Dionysius, cùm in l. cael. hier. probat Angelos esse intellectuales, eò quòd sint spirituales: Augustinus 12. Gen. lit. c. 10. dicit intellectualitatem esse connexionem spiritualitati. D. Maxim. l. de div. nom. c. 5. eandem statuit consequentiam, dicens, *Angelos intelligere entia, tanquam mentes incorporeas.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicit primò, Martinez, qui tamen ratio nem D. Thomae appellet solidissimam, illam tamen vià à sensu ipsius, Scholasticae Thomisticae longè alienà explicat, dum immaterialitatem pro perfectione, materiam pro imperfectione, adeoque non nisi imitative aut metaphorice accipit.

Si immaterialitas accipitur pro exclusionem materiae physicae, sequitur clarissimam veritatem, imò qualis est, *DEVS est sapiens*, probari per principium obcurissimum, quale est, quòd immaterialitas alicujus rei sit ratio, quòd sit cognoscitiva, & quòd secundum modum immaterialitatis sit modus cognitionis. Quòd verò hoc principium sit obscurissimum probatur; quia penetrari non potest, quae vel quid sit illa materialitas, quae à quocunque cognoscente excluditur. Non enim esse potest materia prima, cùm bruta habeant materiam primam, & tamen sint cognoscentia. Secundò Angeli quoque aequaliter excludant materiam primam, cùm tamen in perfectione intelligendi sint inaequales, ac tertiò multae dentur perfectiones spirituales & immateriales, tam in DEO quàm creaturis, quae tamen non sunt formaliter cognoscitivae, uti sunt voluntas, & personalitates Divinae, gratia, & virtutes intellectuales, character sacramentalis, &c.

Sequitur secundò, D. Thomam probasse idem per idem, probaret enim aliquid ideo esse cognoscitivum, quia haberet in se repraesentativè formas rerum cognoscibilem, sed habere in se repraesentativè formas rerum cognoscibilem est formaliter ipsum esse cognoscitivum: ergo probaret idem per idem.

Sequitur tertiò, Quòd cognoscentia forent magis materialia, quàm non cognoscentia: consequens contradicit nostris principiis, ergo. Sequela probatur. Esse materiale & esse receptivum sunt idem: ergo quo magis aliquid est receptivum, eò magis est materiale: atqui cognoscentia sunt magis receptiva, quàm non cognoscentia; siquidem habent amplitudinem & capacitatem recipiendi formas intentionales plurimarum rerum, ergo.

Respon-